animi fatiar. Respondete obsecro absque con
tentione. et loquentes id quod iustum est
iudicate. et non invenietis in lingua mea
iniquitatem. nec in faucibus meis stulti
VII tia personabit. Militia est vita hominis
super terram. et sicut dies mercennarii dies
eius. Sicut servus desiderat umbram.
et sicut mercennarius prestolatur finem operis
sui. sic et ego habui menses vacuos. et noc
tes laboriosas enumeravi michi. Si dor
miero dico. quando consurgam? Et rur
sum expectabo vesperam et replebor dolo
ribus usque ad tenebras. Induta est caro mea
putredine. et sordibus pulveris. Cutis mea
aruit. et contracta est. Dies mei velocius
transierunt. quam a texente tela succiditur.
et consumpti sunt absque ulla spe. Memento
quia ventus est vita mea. et non revertetur
oculus meus ut videat bona. nec aspiciat me
visus hominis. Oculi tui in me. et non subsi
stam. Sicut consumitur nubes et pertransit. sic
qui descenderit ad inferos non ascendet. nec
revertetur ultra in domum suam. neque cog
noscet eum amplius locus eius. Quapropter
et ego non parcam ori meo. Loquar in tri
bulatione spiritus mei. confabulabor cum ama
ritudine anime mee. Numquid mare sum
ego aut cetus. quia circumdedisti me car
cere? Si dixero consolabitur me lectus meus.
et relevabor loquens mecum in stratu meo.
terrebis me per somnia. et per visiones horro
re concuties. Quamobrem elegit suspendium
anima mea. et mortem ossa mea. Desperavi.
nequaquam ultra iam vivam. Parce
michi domine. nichil enim sunt dies mei. Quid
est homo quia magnificas eum. aut quid
apponis erga eum cor tuum? Visitas eum
diluculo. et subito probas illum. Usquequo
non parcis michi. nec dimittis me ut glu
tiam salivam meam? Peccavi. Quid faciam

tibi o custos hominum? Quare posuisti me
contrarium tibi. et factus sum michimet
ipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum.
et quare non aufers iniquitatem meam?
Ecce nunc in pulvere dormiam. et si mane
me quesieris non subsistam. Respondens VIII
autem Baldad Suites dixit. Usquequo loque
ris talia. et spiritus multiplex sermones oris
tui? Numquid deus supplantat iudicium.
et omnipotens subvertit quod iustum est? Etiam
si filii tui peccaverunt ei. et dimisit eos
in manu iniquitatis sue. tu tamen si diluculo
consurrexeris ad dominum. et omnipotentem fueris
deprecatus. si mundus et rectus incesseris.
statim evigilabit ad te. Et pacatum reddet
habitaculum iusticie tue. in tantum ut priora
tua fuerint parva. et novissima tua mul
tiplicentur nimis. Interroga enim generatio
nem pristinam. et diligenter investiga
patrum memoriam. Hesterni quippe sumus.
et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt
super terram. et ipsi docebunt te. Loquentur
tibi. et de corde suo proferent eloquia. Numquid
virescere potest scirpus absque humore. aut
crescet carectum sine aqua? Cum adhuc sit
in flore. nec carpatur manu. ante omnes
herbas arescit. Sic vie omnium qui obliviscuntur
deum. et spes hypocrite peribit. Non ei pla
cebit vecordia sua. et sicut tela aranearum
fiducia eius. Innitetur super domum suam. et
non stabit. fulciet eam et non consurget.
Humectus videtur antequam veniat sol. et in
ortu suo germen eius egredietur. Super acervum
petrarum radices eius densabuntur. et inter
lapides commorabitur. Si absorbuerit eum
de loco suo negabit eum et dicet. non novi
te. Hec est enim leticia vie eius. ut rursum
de terra alii germinentur. Deus non proiciet sim
plicem. nec porriget manum malignis. do
nec impleatur risu os tuum. et labia tua

quare ob ... clamat expediunt

Hesterni sumus

spes ypocrite peribit